



**S**anctus Arbogastus rebus diuinis & huma-  
 nis cognoscendis magnum pietatis & erudi-  
 tionis nomen passim adeptus est. Itaque Ecclesie  
 Argentinensis Episcopus post S. Amandi mor-  
 tem ordinatus fuit, Anno sexcentesimo quadra-  
 gesimo quinto. Erat autem tum Dagobertus Au-  
 strasiorum rex, cuius filium Sigebertum S. Amā-  
 dus in uera doctrina educauerat. Accidit autem  
 cum rex in uenatione esset, ut filius eius Sigisber-  
 tus patrem comitatus aprum insequeretur. Ve-  
 rum generosus equus adolescente excusso effe-  
 cit, ut letali uulnere ab apro afficeretur. Hac cla-  
 de rex territus, statim Sanctum Arbogastum ad  
 sese uocauit, ut partim medicamentis, partim ardenti oratione ad Deum effi-  
 ceret, ut filius restitueretur sanitati. Itaque Arbogastus uocatus illico compa-  
 ruit, atque suis officijs regis filium ad pristinam sanitatem reduxit. In eo loco  
 rex postea Ebersheimminster ecclesiam aedificauit. Ut etiā sese pius rex Deo  
 & Arbogasto gratum exhiberet, Rubeaquensem tractum cum oppido, Ar-  
 gentinensi ecclesie dono dedit. hanc terram etiamnum Episcopi Argētinē-  
 ses retinent, atque Mundatam, tanquam munus datum uocant. Postea S. Arbo-  
 gastus per annos duodecim praesulem egit, atque tandem uita functus extra ur-  
 bem in proximo colle, ubi nunc S. Michaelis templum cernitur, sepultus est.  
 Monst. lib. 3. Hist. Eccles. cent. 7.